



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Cogitationes, Sive Considerationes Christianae Pro  
singulis Anni diebus**

Complectens Aprilem, Majum, Junium

**Nepveu, François**

**Monachii, 1709**

Dies 5. De morte justorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60514](#)

D I E S V.

## De Morte Justorum.

I.

Quantum discriminem est inter mortem hominum proborum, & peccatorum? illud ipsum, quod in eorum vita inventum est. Vita peccatorum suavis vita est, & jucunda; eorum verò mors aspera, & terribilis est. Vita justorum vita austera, & inamoena; eorumque mors suavissima simul, & jucundissima. Quod peccatoribus in vita suavitatem attulit, in morte tormentum afferet. Quod justis in vita pænam afferre visum est, in morte suavitatem, & solatium afferet. Mors peccatorum finem imponit bonis, & delicijs caducis, ut malis æternis eos immergat; mors justorum finem imponit malis temporaneis, ut eos ad bona, & delicias sempiternas evexit. Quàm inauditum discriminem in istorum invenitur termino! ad quemnam eorum pertingere mavis?

II. Opera justorum, & peccatorum eos post mortem comitantur; sed quemadmodum illa prorsus inter se diversa sunt, sic, & eorum effectus penitus inter se discre-

H pant.

Majus.

pant. Opera peccatorum eos sequuntur futura condemnationis eorum causa, & supplicij materia. Opera justorum sequuntur justos, futura ipsis justificationis causa, & remunerationis materia. Ut risque in morte Christi Crucis affixi proponitut imago. Sed unus in Judice videt adversarium suum, & adversarij factio nem; cum alter in ipso agnoscat tum Reconciliatorem, tum Servatorem suum. Unus in eo spectat discrepantiam, quam cum divino hoc Archetypo habet, quo ipsi manifestum reprobationis signum, & desperationis suæ origo ostenditur; alter in amore, quo in Servatorem suum fertur, in consensione, quam cum divino hoc Archetypo habet, potens confidentiae argumentum, & prædestinationis suæ pignus inveniet. Mors uni eripiet omnia, quæ amavit, ut eum sine spe separationis affigat omnibus, quæ formidat. Alterum separabit ab omnibus, quæ odit, vel contempsit, ut eum conjungat cum ijs, quæ amat, & optare paret.

III. Utram ex his mortem eligere vis? Nunc tempus est; dein amplius non erit. An non una horrorem tibi incutit? an non alterius desiderium te tener, adeò, ut cum Propheta exclamet: *Moriatur anima mea morta*.


Nam. 38.

morte justorum, & fiant novissima mea horum Majus, similia. Hoc desiderium, nisi vitæ tuæ rationi consentiat, iniquum est. Si vis, ut mors tua in conspectu Domini pretiosa sit, vita tua hominibus præbeat virtutis exemplum: si vis, ut mors tua suavis, & sancta sit, in vita pœnitentiæ, & Christianæ pietatis operibus te impende. Vive ferventer, si mori cupis suaviter; vive semper in timore, si mori vis cum fiducia: fac in vita, quidquid in morte te fecisse velles: nec quidquam fac in vita, quod in morte fecisse nolles. Sic non habebis, quod timeas, tibique expiobres.

*Statue vivere vitâ justorum, ut moriâre more te justorum.*

Timenti Dominum bene erit in extre-  
mis. *Eccli. c. 1. v. 13.*

Disces bene mori, si didiceris bene vi-  
vere. *Aug. de disciplina Christiana.*



H 2

DIES